



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum mors fuerit pœna peccati primorum parentum? 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38803**

que sit, vt offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus: quod eum facere non debuisse diuinæ sententiæ iustus exitus indicauit: vt Aug dicit 11. \* super Gen ad literam. Et sic patet, quòd peccatum mulieris fuit grauius quàm peccatum viri.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa seductio mulieris ex præcedenti elatione subsecuta est. Et id eò talis ignorantia non excusat, sed aggrauat peccatum, in quantum scilicet ignorando, in maiorem elationem erecta est.

Ad secundum dicendum, quòd ratio illa procedit ex circumstantia conditionis personæ, ex qua peccatum viri fuit grauius secundum quid.

Ad tertium dicendum, quòd vir non cogitauit de diuina misericordia vsque ad contemptum diuinæ iustitiæ: quod facit peccatum in Spiritum sanctum. Sed quia vt Aug. \* dixit 11. super Genes. ad literam, Inexpertus diuinæ seueritatis credidit illud peccatum esse veniale, id est, de facili remissibile.

QVÆST. CLXIV.

De pœnis peccati primi hominis, in duos articulos diuisa.

Deinde considerandum est de pœna primi peccati. Et circa hoc queruntur duo.

¶ Primo, de morte, quæ est pœna communis.

¶ Secundo, de alijs particularibus pœnis quæ in Genesi assignantur.

ARTIC. I.

Utrum mors sit pœna peccati primorum parentum?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd mors non sit pœna peccati primorum parentum. Id enim quod est homini naturale, non potest dici pœna peccati: quia peccatum non perficit naturam, sed vitiat. Mors autem est homini naturalis: quod patet ex hoc, quod corpus eius ex contrarijs componitur: & ex hoc etiam, quòd mortale ponitur in definitione hominis. Ergo mors non est pœna peccati primorum parentum.

Cc 4 ¶ 2 Præ-

cap 42. a me. 10 3.

li. 14. de ciu. Dei. c. 11. cir. fi. 10. 5.

796 12. q. 85.

a. 5. Et 2

d. 30. q. 1

a. 1. Et 3

d. 16. q. 1

a. 1. Et 4

pro. pr. et

d. 4. q. 1.

ar. 1. q. 3

Et 4. 10.

ca 52. Et

mal. 7. 5.

a. 4. et o-

pus 3. ca.

197. 198.

199. 208.

241. Et

242. Et

Ro 5. le.

3. c. 5. Et

Heb 9. fi.



¶ 2 Præterea, Mors, & alij corporales defectus similitur inveniuntur in homine, sicut in alijs animalibus: secundum illud Ecclesi. 1. Unus interitus est hominis & iumentorum, & æqua utriusque conditio. Sed in animalibus brutis mors non est pœna peccati. Ergo etiam neque in hominibus.

¶ 3 Præterea, Peccatum primorum parentum fuit specialium personarum, sed mors consequitur totam humanam naturam. Ergo non videtur esse pœna peccati primorum parentum.

¶ 4 Præterea, Omnes æqualiter deriuantur à primis parentibus. Si igitur mors esset pœna peccati primorum parentum, sequeretur quòd omnes homines æqualiter mortem paterentur: quod patet esse falsum, quia quidam citius alijs, & grauius moriuntur. Ergo mors non est pœna primi peccati.

¶ 5 Præterea, Malum pœnæ est à Deo, ut supra habitum est \*. Sed mors non videtur esse a Deo. Dicitur enim Sap. 1. quòd Deus mortem non fecit. Ergo mors non est pœna primi peccati.

¶ 6 Præterea, Pœnæ non videntur esse meritoria. Nam meritum continetur sub bono, pœna autem sub malo. Sed mors quandoque est meritoria, sicut patet de morte martyrum. Ergo videtur quòd mors non sit pœna.

¶ 7 Præterea, Pœna videtur esse afflictiva, sed mors non potest esse afflictiva, ut videtur: quia quando mors est, homo non sentit: quando autem non est, sentiri non potest. Ergo mors non est pœna peccati.

¶ 8 Præterea, Si mors esset pœna peccati, statim fuisset ad peccatum consecuta. Sed hoc non est verum. Nam primi parentes post peccatum diu vixerunt, ut patet Gen: 4. Ergo mors non videtur esse pœna peccati.

S ED contra est, quod Apost. dicit ad Rom. 5. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.

RESPONDEO dicendum, quòd si aliquis propter



culpam suam priuatur aliquo beneficio sibi dato, ca-  
 rentia illius beneficij est pœna culpæ illius. Sicut au-  
 tem in primo dictum est \*, homini in sui prima insti-  
 tutione hoc beneficium fuit collatum diuinitus, vt  
 quamdiu mens eius esset Deo subiecta, inferiores vi-  
 res animæ subijcerentur rationali menti, & corpus  
 animæ subijceretur. Sed quia mens hominis per  
 peccatum a diuina subiectione recessit, consecutum  
 est, vt nec inferiores vires totaliter subijcerentur  
 rationi. Vnde tanta consecuta est rebellio carnalis  
 appetitus ad rationem, vt nec etiam corpus tota-  
 liter subijceretur animæ: vnde consequitur mors,  
 & alij corporales defectus. Vita enim & incolu-  
 mitas corporis consistit in hoc, quod subijciatur a-  
 nimæ, sicut perfectibile suæ perfectioni. Vnde per  
 oppositum mors & ægrotudo, & quilibet corpora-  
 lis defectus, pertinet ad defectum subiectionis cor-  
 poris ad animam. Vnde patet, quod sicut rebellio  
 carnalis appetitus ad spiritum est pœna peccati pri-  
 morum parentum: ita etiam & mors, & omnes cor-  
 porales defectus.

Ad primum ergo dicendum, quod naturale dicitur  
 quod ex principijs naturæ causatur. Naturæ autem  
 per se principia sunt forma & materia. Forma au-  
 tem hominis est anima rationalis, quæ de se est  
 immortalis: & ideo mors non est naturalis homini  
 ex parte suæ formæ. Materia autem hominis est cor-  
 pus tale, quod est ex contrarijs compositum, ad  
 quod sequitur ex necessitate corruptibilitas. Et quan-  
 tum ad hoc mors est homini naturalis. Hæc ramen  
 conditio in materia humani corporis est consequens  
 ex necessitate materiæ: quia oportebat corpus hu-  
 manum esse organum tactus, & per consequens me-  
 dium inter tangibilia: & hoc non poterat esse nisi  
 esset ex contrarijs compositum, vt patet per Phi-  
 losophum in secundo de anima \*. Non autem  
 est conditio, secundum quam materia adaptetur for-  
 mæ: quia si esset possibile, cum forma sit incorru-  
 ptibi-

9. 25. a.  
 7. 6. 9.  
 27. 27. 2.

li. 2. tex  
 11. 28. 29.  
 20. 2.



ptibilis, potius oporteret materiam incorruptibilem esse. Sicut quòd ferra sit ferrea, competit formæ & actioni eius, vt per duritiem sit apta ad secundum. Sed quòd sit potens rubiginem contrahere, consequitur ex necessitate talis materiæ, & non secundum electionem agentis: nam si artifex posset, faceret ex ferro ferram, quæ rubiginem contrahere non posset. Deus autem qui est cõditor hominis, omnipotens est. Vnde ademit suo beneficio ab homine primitus instituto, necessitatem moriendi ex tali materiæ consequentem: quod tamen beneficium subtrahum est per peccatum primorum parentum. Et sic mors & est naturalis propter conditionem materiæ, & est pœnalis propter amissionem diuini beneficij præseruantis à morte.

Ad secundum dicendum, quòd similitudo illa hominis ad alia animalia attenditur, quantum ad conditionem materiæ, id est, quantum ad corpus ex contrarijs compositum, non autem quantum ad formam. Nam anima hominis est immortalis, brutorum verò animalium animæ sunt mortales.

Ad tertium dicendum, quòd primi parentes fuerunt à Deo instituti, non solum sicut quædam personæ singulares, sed sicut quædam principia totius humane naturæ ab eis ad posteros deriuandæ, simul cum beneficio diuino præseruante à morte. Et idem per eorum peccatum tota humana natura in posteris tali beneficio destituta, mortem incurrit.

Ad quartum dicendum, quòd aliquis defectus ex peccato consequitur dupliciter. Vno modo, per modum pœnæ taxatæ à iudice. Et talis defectus æqualis debet esse in his ad quos æqualiter pertinet peccatum. Alius autem defectus est, qui ex huiusmodi pœnâ per accidens consequitur: sicut, quòd aliquis pro culpa sua excæcatus cadat in via. Et talis defectus culpæ non proportionatur, nec ab homine iudice pensatur, qui non potest fortuitos exentus præcognoscere. Sic ergo pœnâ taxatâ pro primo peccato



caro proportionaliter ei respondens, fuit subtractio  
 divini beneficii: quo rectitudo & integritas humana  
 natura conservabatur. Defectus autem consequentes  
 subtractionem huiusmodi beneficii, sunt mors & alia  
 pœnalitates presentis vitæ. Et idem non oportet hu-  
 iusmodi pœnas æquales esse in his, ad quos æquali-  
 ter pertinet primum peccatum. Verum quia Deus  
 prescius est omnium futurorum eventuum ex disposi-  
 tione divina prescientiæ & providentiæ, huiusmodi  
 pœnalitates diversimodè in diversis inveniuntur, non  
 quidem propter aliqua merita vel demerita prece-  
 dentia hanc vitam, ut Origenes posuit\*. Hoc enim  
 est contra id quod dicitur Rom 9. Cùm nondum  
 aliquid boni aut mali egissent. Et etiam est contra  
 hoc quod in primo ostensum est †, quod anima non  
 est creata ante corpus. Sed vel in pœnam paternorum  
 peccatorum, in quantum filius est quedam res patris,  
 unde frequenter parentes puniuntur in prole. Vel  
 etiam propter remedium salutis eius, qui huiusmodi  
 pœnalitatibus subditur, ut scilicet per hoc à peccatis  
 arceatur: aut etiam de virtutibus non superbiat, &  
 per patientiam coronetur.

Ad quintum dicendum, quod mors dupliciter po-  
 test considerari. Vno modo, secundum quod est  
 quoddam malum humanae naturæ. Et sic non est ex  
 Deo, sed est defectus quidam incidens ex culpa hu-  
 mana. Alio modo potest considerari secundum quod  
 habet quendam rationem boni, prout scilicet est  
 quedam iusta pœna: & sic est à Deo. Unde Aug. dicit  
 in lib. Retractionum †, quod Deus non est auctor  
 mortis, nisi in quantum est mors pœna.

Ad sextum dicendum, quod sicut August. dicit  
 17. de civitate Dei\*, Quomodo in iniusti, malè  
 videntur non tantum malis, verum etiam bonis: ita  
 iusti bene videntur non tantum bonis, sed etiam ma-  
 lis. Hinc fit, ut & mali male lege videntur, quam-  
 vis lex sit bonum: & boni bene moriantur, quamvis  
 sit mors malum. In quantum igitur sancti bene morte  
 videntur.

¶ Peri-  
 ar hē, c.  
 7. & 8.  
 10. 4.  
 9. 47. a. 2  
 & 9. 75.  
 2. 7. et 9.  
 20. ar. 40

li. 1. c. 11  
 cir. med.  
 & c. 16.  
 cir. prin.  
 to. 3.  
 \* li. 1. c. c.  
 6. habe-  
 tur impli  
 citè, 10. 5.



vtuntur, fit eis mors meritoria.  
 Ad septimum dicendum, quod mors dupliciter accipi potest. Vno modo pro ipsa priuatione vitæ: & sic mors sentiri non potest, cum fit priuatio sensus & vitæ. Et sic non est pœna sensus, sed pœna damni. Alio modo, secundum quod nominat ipsam corruptionem, quæ terminatur ad priuationem prædictam. De corruptione autem, sicut & de generatione dupliciter loqui possumus. Vno modo, secundum quod est terminus alterationis. Et sic in ipso instanti, in quo primo priuatur vita, dicitur inesse mors. Et secundum hoc etiam mors non est pœna sensus. Alio modo, corruptio potest accipi cum alteratione præcedente, prout dicitur aliquis mori dum mouetur in mortem: sicut & dicitur aliquid generari, dum mouetur in generatum esse. & sic mors potest esse afflictiva.

lib. 12. c. 2. Ad octauum dicendum, quod sicut August. dicit \*  
 2. sed nõ super Genes. ad literam, quamuis annos multos primi  
 his ver- parentes postea vixerint, illo tamen die mori cape-  
 bis for- runt, quo mortis legem, qua in senium veteralco-  
 maliter, rent, acceperunt.  
 so. 4.

ARTIC. II.

*Utrum conuenienter particulares pœna primorum  
 parentum determinentur in scriptura?*

797  
 2. dif. 29.  
 ar. 5.  
**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod  
 conuenienter particulares pœnæ primorum  
 parentum determinentur in scriptura. Non enim de-  
 bet assignari vt pœna peccati, id quod etiam sine  
 peccato esset. Sed dolor in pariendo esset, vt videtur,  
 etiam sine peccato. Hoc enim requirit dispositio fe-  
 minæ, vt proles nasci non possit sine dolore  
 parentis. Similiter etiam subiectio mulieris ad virum  
 consequitur ad perfectionem virilis sexus, & imperfe-  
 ctionem muliebris. Germinatio etiam spinarum &  
 tribulorum, ad naturam terræ pertinet, quæ fuit  
 etiam sine peccato. Non ergo huiusmodi sunt conue-  
 nientes pœnæ primi peccati.